

## ROMULUS AND REMUS & THE RAPE OF THE SABINE WOMEN (1.6.4-1.7.3 & 1.9)

1 Quoniam gemini essent nec aetatis verecundia discrimen facere posset, ut  
2 dii, quorum tutelae ea loca essent, auguriis legerent qui nomen novae urbi  
3 daret, qui conditam imperio regeret, Palatum Romulus, Remus Aventinum  
4 ad inaugurandum templa capiunt.

5 Priori Remo augurium venisse fertur, sex voltures; iamque nuntiato augurio  
6 cum duplex numerus Romulo se ostendisset, utrumque regem sua multitudo  
7 consalutaverat: tempore illi praecepto, at hi numero avium regnum  
8 trahebant. Inde cum altercatione congressi certamine irarum ad caedem  
9 vertuntur; ibi in turba ictus Remus cecidit. Volgatior fama est ludibrio fratribus  
10 Remum novos transiluisse muros; inde ab irato Romulo, cum verbis quoque  
11 increpitans adieciisset, "Sic deinde, quicumque alias transiliat moenia mea,"  
12 interfectum. Ita solus potitus imperio Romulus; condita urbs conditoris  
13 nomine appellata.

\* \* \*

14 [9] Iam res Romana adeo erat valida ut cuilibet finitimarum civitatum bello  
15 par esset; sed penuria mulierum hominis aetatem duratura magnitudo erat,  
16 quippe quibus nec domi spes prolis nec cum finitimis conubia essent. Tum  
17 ex consilio patrum Romulus legatos circa vicinas gentes misit qui societatem  
18 conubiumque novo populo peterent: urbes quoque, ut cetera, ex infimo  
19 nasci; dein, quas sua virtus ac di iuuent, magnas opes sibi magnumque  
20 nomen facere; satis scire, origini Romanae et deos adfuisse et non defuturam  
21 virtutem; proinde ne gravarentur homines cum hominibus sanguinem ac  
22 genus miscere. Nusquam benigne legatio audita est: adeo simul spernebant,

23 simul tantam in medio crescentem molem sibi ac posteris suis metuebant. Ac  
24 plerisque rogitantibus dimissi ecquod feminis quoque asylum aperuissent; id  
25 enim demum compar conubium fore. Aegre id Romana pubes passa et haud  
26 dubie ad vim spectare res coepit. Cui tempus locumque aptum ut daret  
27 Romulus aegritudinem animi dissimulans ludos ex industria parat Neptuno  
28 equestri sollemnes; Consualia vocat. Indici deinde finitimus spectaculum  
29 iubet; quantoque apparatu tum sciebant aut poterant, concelebrant ut rem  
30 claram exspectatamque facerent.

31 Multi mortales convenere, studio etiam videndae novae urbis, maxime  
32 proximi quique, Caeninenses, Crustumini, Antemnates; iam Sabinorum  
33 omnis multitudo cum liberis ac coniugibus venit. Invitati hospitaliter per  
34 domos cum situm moeniaque et frequentem tectis urbem vidissent, mirantur  
35 tam brevi rem Romanam crevisse. Ubi spectaculi tempus venit deditaeque eo  
36 mentes cum oculis erant, tum ex composito orta vis signoque dato iuventus  
37 Romana ad rapiendas virgines discurrit. Magna pars forte in quem quaeque  
38 inciderat raptae: quasdam forma excellentes, primoribus patrum destinatas,  
39 ex plebe homines quibus datum negotium erat domos deferebant.